

TERRAE MOTVS APHORISMI.

Terræ motus in compactiore loco & densiore con- 37
tingens, eo quòd illinc difficulter erumpat tremefaciēs
spiritus, diutissime durat: in solutiore & rariore ua-
nescit citius.

Vbiq; ef-
se nō po-
test ter-
ræ mot⁹

Terræ motus quandoq; domum solam, nonnunquã 38
ciuitatem, aliquando totam prouinciam euertit. Qui
ob subterraneum halitum de loco uno in alium de-
trusum, ibique eompressum, ubique esse non potest.

Terræ
mot⁹ var-
riet̃ diuer-
sitates.

Subterraneus spirituum motus, terram quandoque 39
tantum agit, nonnunquam subuertit: aliquãdo ape-
rit, & multis in locis perforat: aliàs uehit, impellit, de-
primit & attollit. quam diuersitatem ex uaria occul-
torum spirituum agitatione, & locorum natura emer-
gere credibile est.

Loca ad-
uers⁹ ter-
ræ motū
tutissi-
ma.

Tutissimi sunt Plinio aduersus terræ motum omnē, 40
ædificiorum fornices, anguli quoque parietum, & po-
stes alterno pulsū renitentes. Adhæc parietes terreo
latere facti: saxi aut solidis lapidibus coagmentati,
minus.

Contra terræ motum remedium præbent cloacæ, & 41
specus creberrimi. Nam præconceptum spiritum ex-
halant, accedentibus multis ad eluuiē cuniculis. sed
omnium præstantissimū propugnaculum, & præsen-
tissima salus, est Dominus, qui non dicam terram, sed
totum nutu tremefacit olympū. cui honor & gloria.

METEOROLOGIAE ANTO-
NII MIZALDI MONSLUCIANI

FINIS.